

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johannes Corfinius

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Corfinius, SS.  
Theol. D. Moralium Professor, & Pastor D. Mar. Ad Exequias Quas ... Margarethae  
Schröders/ Coniugi Desideratissimae Hodierno ... Parabit ... Cives Academicos  
omnium Ordinum paramanter invitat**

Rostochii: Kilius, 1653

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777420619>

Druck    Freier  Zugang



Corfinius, J.,

in

M. Schröder,

~~uxor. H. Ridemann.~~

uxor. Johann (Hans) Schröder

Rost. 1653.

58



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn777420619/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777420619/phys_0002)

DFG





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn777420619/phys\\_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777420619/phys_0004)




PROGRAMMA  
Quo  
RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
**JOHANNES CORFINIUS,**  
SS. Theol. D. Moralium Professor,  
& Pastor D. Mar.  
Ad  
Exequias  
Quas  
Matrone Lectissima & Honestissima,  
**MARGARETHÆ**  
Schröders/  
Conjugi Desideratissimæ  
Hodierno die in Mariano Templo Vidua  
Mæstissimus.  
Parabit Horæ I.

Cives Academicos omnium Ordinum  
paramanter invitati.



ROSTOCHII,  
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.  
ANNO M. DC. LIII.





Umanam exuere jubent indolem,  
quotquot ab omni penitus fletu cessan-  
dum esse homini imperant, nec lachry-  
mas profundendas esse censem, quan-  
tumvis devinctissimi nostri occidant, illi  
etiam qui Theseâ fide nobis fuere juncti;  
Vix in mortalium quenquam cadet iufractum istiusmo-  
di ac impenetrabile animi robur, quod ad universos  
ictus hinc inde immissos masculè vincendos, & absq;  
Omni gemitu planetuq; transmittendos sufficiat: Homi-  
nes cum sint singuli, humani à se nihil putabunt alienum,  
nec enim saxea exunt neq; adamantina gentis humanæ  
præcordia, flectuntur profecto & subito ingruentem per-  
fentiscent animi angorem, quem qualicunq; modo ut  
tollant, si non dispellere queant omnino, lenire tamen  
ut liceat opere annituntur maximo, hinc in ipso etiam  
fletu levamen anxiè queritant, quo licet nunquam pen-  
tus collere, levare nihilominus & frangere aliquantis per  
poterunt dolorem; Unde concinnè Poëta,

*Flesq; meos casus: est quedam ftere volupeas,  
Expletur lachrymas, egeriturq; dolor.*

Stoicæ Sectæ Doctores ad supprimendos frænandosq;  
affectus ubi vis Monita inculcare expertum habent Eru-  
diti, nihilominus istius Scholæ Sapientissimus cautè in-  
culcavit, non ita extirpari posse dolorem, ut ipso affe-  
ctu pariter careamus, sed rationis moderamen adhiben-  
dum esse præcepit; *Fac dolore vacas, (inquit) non ut omnino*  
*affectibus careas, brutorum more, nec ut rationis expers, sed*  
*sanguinem virtutis cultor, Rationem habe pro doloris remedio.*

A 2

Durissi-

Durissimi certè rerum Censores & Aristarchi cuncti re-  
putandi sunt, qui omnem omnino exturbare & exter-  
minare fletum satagunt, ingemiscere quidem nonnun-  
quam Viro concessum esse affirmant, idq; raro. ejulatum  
verò ne mulieri quidem admittendum, nedum Viro,  
nihil etenim muliebri fletu turpius esse animo Viro  
asserunt: *Platonis* scitum nimis rigorosum fuisse in propa-  
tulo est, quo ille fanciebat suo fæculo, *Lachrymas profun-  
dere ob mortuum, aut secus precipere indecorum est.* Sed ecquis  
in casibus Tragicis, inopinatis, tristissimis sibi temperet  
à lachrymis? Plurimis solamini fuisse lachrymarum  
guttulas nullus inficiabitur, nisi data operâ obloqui ma-  
lit experientiae veritatis magistræ, namq; ex parte ma-  
xima doloris imminuunt magnitudinem, dolor siqui-  
dem ignis speciem gerit, qui dum plus tegitur, magis  
ignescit. Neq; verò propterea recensere talia animus  
est, ut nimio etiam planctui à nobis valvas aperiri quis-  
quam arbitretur, ab istâ etenim opinione universos ju-  
bemus esse remotissimos, & si quâ in re moderamine  
opus fuerit, & decantato illo Comici Monito, *Ne quid  
nimis, profecto hic perquam opus esse enunciamus, secus  
etenim si quis fecerit, & angoris ploratusq; sarcinâ im-  
modicâ seipsum excruciaverit, ad stolidiores & igno-  
rantissimos relegandus est mundi hospites, qui, quo ha-  
bendi sint loco mortales vel ignorant penitus, vel per-  
functoriè nimisq; frigidè examinant. A mortalibus non  
nisi mortales gigni rationis ductus satis instillare pote-  
rat, quem insignis ille Sophorum Ocellus *Anaxagoras*  
secutus, grande fortitudinis documentum reliquit poste-  
ritati, cum etenim in publico docentium Lyceo inter  
labores nunciaretur, Filium è consortio viventium jam  
avocatum esse, abrupto paulisper & suspenso sermone.*

hac

hæc animo volvebat , sed paulò deinceps subiecit,  
Scio me genuisse mortalem. Utinam hujusmodi magnanimitatis vel tantillum possiderent, qui in sacris militant Servatoris castris, præcipue cum mortalitatis scia graphia in divino Codice evidentissimè istis delineetur, ac idem inculcetur, nihil sperandum esse certius , quam pacti antiquissimi consummationem, instare mortem. Injurijs sunt Christiani in piè denatos, qui ploratu immode rato obitum placidum pariter & beatum deflent, nemo opinor , nisi invidiæ maculâ se conspurcare voluerit, amicissimis quietem adimendam optabit, Justi verò sacrâ paginâ affirmante, bellè quiescunt ; nemo cruciatuū carentiam, gaudiorum affluentiam, constantiam deniq; deliciarum invidebit, sed immortalitatis Candidati ex otbe discedentes cum in Iehovæ manu turissimi sint , à nullo vexantur cruciatu, cumq; in blando Abrahamito co sinu foveantur, gaudio delibuti sunt immarecessibili, neq; est quod unquam cælestè istud delicium in mortalem conversum iri extimescant. Veruntamen magis in seipso injurijs sunt immodicæ mortitudoñis sectatores, cum suos discrucient mortore animos, sibiq; interrant buccellas, quæ ipsi met dehinc omnes erunt excedendæ: Tineis vestimenta atteri , atq; paulatim absumi novimus, teredinibus quoq; comminui ligna, neq; aliter fieri censendum est in intimo cordis penetrali , sicubi incestitia expugnaverit animum, depascuntur corda curarum tineis, atteruntur teredinibus, non horis duntaxat singulis, sed continua etiam momentis exeduntur, anguntur, compunguntur donec flaccescant penitus, nisi maturimè exesse jubeatur excrucians iste angor. Proinde sibi suisq; rebus consulent prudentissimè , qui in luctuoso casu, & acerbo Propinquorum discessu Paulinom versant

versant Aphorismū; Cohibendum esse mærorēm, nē  
quis cum Gentiliū cohortē spē penitus abjecisse vi-  
deatur, Ethnicorum etenim immoderatus est dolor,  
cum futurā resuscitationis spe non sit temperatus, turpe  
verò est, & Christiano pectore maximē indignum, in-  
Amicorum discessu ita se gerere ac si statuatur cum de-  
functis jam æternū actū esse, ubi cunq; enim viguerit  
seria Resuscitationis spes & fiducia, ibidem nimius mæ-  
ror oppidō extinguetur, nē quis Ethnicam desperationē  
dubitacionēq; postliminio reducere existimetur.  
Hæc ubi sedulō expendent Vidiūs & Propinquī moe-  
stissimi hujus Matronæ Laudatissimæ obitum deflentes,  
dubium nullum erit, quin mente compositā, animoq;  
tranquilliori perlaturi sine discessum, ut dolor tempera-  
tus deprehendatur. Nacta verò est Macarites nostra,  
*Laudatissima Matrona MARGARETHA Schröders*/  
vitæ primordia in hac Rostochiensi Urbe, seculo supe-  
riori Anno nonagesimo octavo, postridie Festi Purifi-  
cationis Mariæ, Edita est Genitoribus Honestissimis,  
Parente MARTINO Schröder/Viro Integerrimo,  
Cerevisario & Cive Rostochiense. Avo autem Paterno  
PETRO Schröder/Cive olim Plawense Optimo; Aviā  
deniq; MAGDALENA Reimers. Genitricem ha-  
buit Fœminam Piissimam ELISAM Tschentins/  
Spectatissimi & Integerrimi Viri STEPHANI Tce-  
chentins/Rostochiensis Civis primarii, & Templi Jaco-  
bæi Ädilis industrii, atq; Matronæ Laudatæ MAR-  
GARETHÆ Dürkopen/Filiam. Parentes cum pietati  
essent addictissimi, nihil æquè exoptarunt, quam ut in  
castimoniaz. pietatis virtutumq; Gymnasio dilectissima  
Filia excresceret, suisq; præiverunt monitis & exemplis  
utilissimis, ut & Filia deinceps rectè educata & nubilis  
facta

facta Marito emolumento & adjutorio, proli verò, si  
quam suscepura esset, exemplo foret, neq; votum studi-  
umq; Parentum irritum fuit; Iстis enim cum animi pie-  
tatisq; dotibus coruscaret nata, quæ facile procum alli-  
ciebant, Anno millesimo, sexcentesimo, vigesimo sexto  
connubio felici juncta fuit Viro Honestissimo & Spe-  
ctatissimo JOHANNI Schröder / Civi apud nos In-  
segerrimo, antehac Aerarii publici Praefecto, nunc verò  
Prochodochij ad Spirit. S. Adili laudatissimo, hodie  
alterà vice viduatum torum acerbè deploranti. In isto  
connubio, unanimitatis & tranquillitatis felicitate com-  
mendabili, aliquoties prole prægratà Maritum exhi-  
laravit, filis quatuor, tribusq; filiabus, quarum natu me-  
dia SOPHIA Matri antea præmissa fuit, Primogeni-  
ta verò MARGARETHA Fœmina Lectissima,  
Viro Spectatissimo & Præstantissimo Dn. HENRICO  
RIDEMANNO, Oenopolæ & Politiae hujus Civi pri-  
mario conjugali nexu juncta fuit, (ex quâ Macarites no-  
stra aliquot vident Nepotes) Ultimò genita ANNA pa-  
ternam familiam domesticam adhuc augeret. Filios verò  
edidit MARTINUM, FRANCISCUM, PETRUM,  
CHRISTOPHORUM, qui singuli supersunt, & juxta  
cum Parenē desideratissimæ Matris emigrationem  
acerbè lugent.

In vita familiarī mansuetudinis & integritatis en-  
comium reportavit, professionem quoq; Christianam  
singulari pietatis decoravit exercitio. Infirmitatibus  
corporis sæpius obnoxia fuit, & morbo lethali ante vi-  
ginti correpta septimanæ, illo ipso die, quo in deda-  
ctione funerali Sororis charissimæ Exequias fuerat co-  
mitata, neq; ex isto tempore melius habuit, sed quoti-  
die ingrayescens experta est malum, & quamvis propi-  
pata

nata Medicorum pharmaca absq; morâ & ullâ tergiversatione applicaret, malignans tamen malum adhæsit tenacissimè, & tandem victoriam obtinuit, quod ipsum Exponentissimi Dn. Medici effato exprimere placet, qui Hydrope scorbutico illam diu confūctatam, tandemq; morbo isto extinctam esse affirmavit. Morbo durante rarum patientiæ exemplar astantibus reliquit, neq; obmurmuravit unquam, sed qua erat indole tolerantissimâ, omnia pertulit mansuetudine laudatâ; insuper aliquoties per Dn. Confessionarium præcedente, prævaricationum detestatione & fiduciæ declaratione, sacræ Absolutionis dono ut & sancto Eucharistia thesauro refecta fuit, donec 17. Januar. inter astantium fūlas preces circa horam tertiam pomeridianam, piè beatèq; spiritum exhalaret, cum annum ætatis propediem complecta fuisset quinquagesimum quintum.

Matronæ hujus Honestissimæ Exuviae hodierno die tumulo concredentur, quo circa ut Exequias honorifico & frequentiori comitatu Cives Academicci condorent, & propriæ mortalitatis memoriam revol-

yant amicè contendimus, P.P. die **XXI.**

Januar. Anno 1653.

*Conventus Hor. I. in Templo  
B. Virginis instituerit.*









Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn777420619/phys\\_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777420619/phys_0015)

DFG



facta Marito emolumento & ad  
quam suscepura esset, exemplo s-  
umq; Parentum irritum fuit; Isti  
tatisq; dotibus coruscaret nata, q-  
ciebant, Anno millefimo, sexcen-  
connubio felici juncta fuit Viro  
Etatissimo JOHANNI Schrot-  
tegerrimo, antehac Aerarii publico  
Ptochodochij ad Spirit. S. Aedi  
altera vice viduatum torum acer-  
connubio, unanimitatis & tran-  
quillitatis, aliquoties prole p-  
laravit, filius quatuor, tribusq; fili-  
dia SOPHIA Matri antehac pri-  
nita verò MARGARETHA  
Viro Spectatissimo & Præstantissi-  
MI DE MANNO, Oenopolæ &  
mario conjugali nexu juncta fuit,  
stra aliquot vidit Nepotes) Ulti-  
ternam familiam domesticam adh-  
edidit MARTINUM, FRANC-  
CHRISTOPHORUM, qui sing-  
cum Parente desideratissimæ M-  
acerbè lugent.

In vitâ familiarî mansuetudi-  
comium reportavit, ptofessione  
singulari pietatis decoravit exere-  
corporis s̄epius obnoxia fuit, &  
ginti correpta septimanas, illo i-  
ctione funerali Sororis charisim-  
mitata, neq; ex isto tempore mel-  
die ingrayescens experta est malu-

oli verò, si  
otum studi-  
animi pie-  
tocum alli-  
simō sexto  
mo & Spe-  
pud nos in-  
nunc verò  
mo, hodie  
ti. In isto  
citate com-  
tum exhib-  
natu me-  
Primoge-  
lectissima,  
ENRICO  
is Civi pri-  
carites no-  
NNA pa-  
iliois verò  
ETRUM,  
nt, & juxta  
rationem,

ritatis en-  
christianam  
mitatibus  
ali ante vi-  
o in deda-  
fuerat co-  
sed quoti-  
vis propi-  
pata



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart T243 Serial No. [redacted]